

est, quod Aegyptiorum hieroglyphicis. Quibus ob diversas animalium vel plantarum proprietates, varias etiam rerum aliarum naturas significabant. Nec sunt vituperandi si mathematicis ἐντραφέντες, *innutriti* ea provexerunt: quandoquidem ut Philo-
 5 lopus est author, 1. Analytico Aristoteles laudatur, quia mathematicum studiosissimus ab eis nomina ὄρου, σχήματος, *termini et figurae*, partium propositionis et syllogismi symbola fecit. Quibus addere licet abecedaria illa terminorum symbola a geometris sumpta, quibus totam argumentandi artem non minus
 10 quam Pythagorei numeris reliquisque symbolis alias scientias, obscurissimam reddidit, eodem forte cum Pythagoreis studio, ne cuivis de plebe innotescerent. Quod quidem ad votum est consecutus.

Illud vero minime verum esse existimo, quod Aristoteles asserit allato iam loco:¹³ *Horum (numerorum) principia entium principia esse omnium existimarunt*. Et iterum:¹⁴ *Numerorum elementa entium elementa omnium esse putarunt*. Non enim putarunt phantasticos numeros esse rerum principia et si quos numeros entium principia putarunt, alios quam hosce quibus numeramus putarunt, ii vero sunt, quos ibidem ait idem Aristoteles:¹⁵ *Numeri vero uniuersae naturae primi*. Cuiusmodi est tetractys illa, quam aeternae naturae fontem appellarunt:¹⁶ *Ita per eum qui nostrae animae dedit tetractyn fontem aeternae naturae*.

Agnoverunt tales numeros atque eos sunt venerati Aristotelis amici Philoponus et Simplicius. Ille enim commentariis in 1.
 25 De anima commentario 68. multa praeclara de his numeris scribit. Quae quia nimium prolixa sunt, ut huc transcribantur omnia, per [310] summa capita percurram. ἀριθμοὺς μὲν οὖν ἐκάλουν

¹³ τὰς τούτων ἀρχὰς τῶν ὄντων ἀρχὰς ᾤθησαν πάντων εἶναι. [ARIST. Metaph. 985b.25 – 26]

¹⁴ τὰ τῶν ἀριθμῶν στοιχεῖα τῶν ὄντων στοιχεῖα πάντων εἶναι ὑπέλαβον. [ARIST. Metaph. 986a.1 – 2]

¹⁵ οἱ δ' ἀριθμοὶ πάσης τῆς φύσεως πρῶτοι. [ARIST. Metaph. 985b.33 – 986a.1]

¹⁶ Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτύν, παγὰν ἀενάου φύσεως. [PYTHAG. Carm. aur. 47 – 48]